

versionem activam v. 19. postquam conversus fuero, etiam poenitentiam agam.

שוב] **השבני** proprie notat reverti, redire in locum, unde antea discesseras, convertere se, transitive restituere, reducere, redire facere, in Hiphil enim significat actionem aliunde & ab externo quopiam agente illatam, quæ per verbum facere exponi solet, juxta quem significandi modum idem notat quod facere quempiam reverti eo unde digressus aut abductus erat conf. Gen. XX, 7. item Gen. XLIII. 11. In conjugatione Kal ergo si ejus nativum significandi modum spectes, significabit reducere peccatorem puta a peccatis eo unde per peccata digressus est: nempe ad fidem tanquam conversionis terminum formalem, & hac mediante ad Deum, tanquam ad terminum ejus objectivum. Sic Pf. LXXXV. 5. dicitur: **שובנו אלהי ישענו** Reduc nos, scilicet a via peccati & impietatis, ad te Deus salutis nostræ. Et Es. LII, 8. **בשוב יהוה ציון** in reducere Jehovam Sionem i. e. cum reducet Jehova Sionem sc. a peccatis suis. Interpretes tamen Latini & Græci rem potius, quam vim verbi respicientes reddunt illud communiter per verba convertere & *πιστεύειν* transitive sumta; quamvis neutrum per se eos importet respectus, quos Ebræum **שוב** ex suo nativo significandi modo importat; varias vocis **שוב** acceptiones recenset Kircherus in Concordant. Vet. Testam.

יהוה] Augustum Dei nomen est, quod tanquam illustre sidus minores inter ignes exsplendescit, deque cujus varia lectione ac seriatione multa non minus inter Theologos quam Philologos diu satis sunt agitata apud Drusium, Buxtorffium, August. Pfeifferum Dissert. de Nom. Div. Verbo: Derivatur ab **הוה** fuit, ut scilicet innuatur independens illa existentia antecedens omne esse creatum illique largiens, ut quoquo modo existat: essentiator essentialis: quod haud obscure innuere voluit Deus voce **איהוה** Exod. III, 14. ubi quærenti Moyse
de